

lux solis maior est; etiam quia Sol propria virtute lucet, non autem Luna.

77. Ansbertus. Secundo Ansbertus Abbas lib. 5. in Apocalypsim ad cap. 10. eius ad illa verba. Et facies eius erat ut Sol. Sic ipse inquit: Absit, ut tantam faciem Christi tribuamus claritatem, quantum habere Solem istum visibilem cernimus, presertim cum de membris suis ipse dicat. Fulgebunt iusti sicut Sol in regno Patris eorum Matth. 13. n. 43. Equidem erunt Electi aequales Angelis Dei, non tamen filio Dei.

Matth. 13. Ansbertus. Solutionem subiicit citatus Ansbertus. Nam quod in monte coram tribus Discipulis transfiguratus faciem suam in Solis claritatem commutavit, futura membra sua iam tunc in se ipso ostendit. Idem habet Beda. Christi splendor incomparabiliter multo maior, quam Solis lux. Cur ergo huic similis dicitur. Resplenduit facies eius sicut Sol? De suis Electis dixerat Dominus. Fulgebunt iusti sicut Sol. Quando suae gloriae manifestationem exhibet, non ostentat illam, quam ipse, ut vnigenitus Dei filius, sibi habet debitam, sed illi similem, quam ipse Electis suo sanguine comparauit; augustinus quodammodo, ut ita dicam, ducens, nitescere gloria, & maiestate, quam suis communicat, & tribuit, quam illa excellentiori, quam ipse ex propriis sibi vendicat. Quis ignorat, quod principis, ac regis gloria inter nos plus venustatur donis in suos diffusis, quam multa rerum copia sibi soli retenta?

78. Tertio. Noster D. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Ioan. 16. Tunc, ait, fulgebunt iusti sicut Sol in regno Patris sui. Quod ut firmiter crederetur, praenuntiat, & in monte hanc gloriam Discipulis monstravit. Pollicitus fuerat Dominus, quod iusti in regno caelorum fulgerent sicut Sol. Ostendit ergo ipse gloriam suam in Thabor ad instar Solis; tum ut Discipuli firmiter crederent, quod, cum Dominus illa maiestate potiretur, ipsi ad similem essent eleuandi; bona enim, quae Christus possidet, largiter in suos diffundit: tum etiam ad speciem Solis ostendit faciem suam, ut promissioni suae, de Beatorum fulgore ad instar Solis, multam fidem reconciliaret; in multum enim aestimantur promissiones de futuro, cum de praesenti aliquid exhibetur. Quod ut firmiter crederetur, praenuntiat, & in monte hanc gloriam Discipulis monstravit. Ad quod etiam tendit D. Basilius Seleucus Orat. 43. Inuisa mea maiestatis partem aliquam vobis renolabo, & hoc spectaculo futuri spes concutabo.

79. Quarto. Multa societas videtur interesse inter verum Solem iustitiae, ac nostrum hunc Solem materialem. In monte Thabor transfiguratur Iesus, & resplenduit facies eius sicut Sol. Tunc ipse materialis Sol valde perlucidè fulget. In monte verò Caluariae, cum passionum tenebris eclipsatur verus Sol iustitiae, ipse materialis Sol radios suos contrahit. Obscuratus est Sol. Luc. 23. num. 45. Vnde tam admirabiliter sociantur? D. Basilius Seleucus Orat. 43. Diuina vi ex humana forma radij promicabant. Vidit Sol, quae prius non didicerat, aliena lucis fulgoribus oculi doctus est. Christus in Transfiguratione diuina luce resulget; & tamen tanto splendore, quem nunquam antea materialis Sol didicerat, minime se obscuratum agnouit, sed ei, perlucidè fulgere, concessum est. Resplenduit facies eius sicut Sol. Cum ergo à tanta claritate nullo modo contemnitur Sol, sed potius ad illius consortium admittitur; his fulgoribus alienae lucis Redemptoris nostri doctus est materialis Sol oculi, seu obscurari, quando ip-

sum verum iustitiae lumen in Caluaria abscondi intuitus est. Solem materialem, quae Christus in Transfigurationis pompa, ac maiestate non reiecit, nec spernit confortem, in passionis pressura habet focium: aliena lucis fulgoribus oculi, seu abscondi, doctus est. Quos in prosperitate tui participes retines, in aeterna, ac labore tui amicos, ac sequaces inuenies: & quibus, in felicitate, tuae gloriae partem dedisti, in aduersitate immunes tuae obscuritatis non euadent.

80. Quinto. Pro nostro morali documento: Noluist Dominus Solis splendorem superasse, ne noua, ac singulari luce niteret, sed ea, quae aliqualem societatem, ac consuetudinem cum communi habet. Resplenduit facies eius sicut Sol. Dum enim ad instar Solis fulget, de illius communi gratiam, & amorem reconciliat, assimilatur; & simul odium, & inuidiam eiusdem deicit; cuius saepe singularitas magnum extat fomentum. Vide tom. 2. & 3. Verbum Singularitas, ibi multa.

81. Sexto. D. Damascenus Orat. de Transfigur. Resplenduit facies eius sicut Sol, inquit, non quod Sole splendidior non esset, sed quantum inueniri poterant spectatores: nam si vniuersam gloriae claritatem ostendisset, illi penitus exarsissent. Excellentiori luce super Solem resplendebat Dominus; & tamen sic moderauit claritatem, ut tanquam Sol nitens videretur: non etiam mensus est Dominus ostentationis pompam pro potentia, ac maiestate propria, sed pro Discipulorum, quibus manifestabatur, fragilitate: nam si totum diuinæ gloriae fulgur coram illis exhibuisset, cum adhuc pro humanae vitae conditione incapaces existerent, non eos mira cognitione lartificaret, sed potius obecaret; neque ingenti eos gaudio recrearet, sed potius vehementissime confunderet. Nam si vniuersam gloriae claritatem ostendisset, illi penitus exarsissent. Luce, ac fauores sic communicentur, ut accipientium capacitati adaptentur. Vnde per belle de hoc mysterio ait D. Paschasius lib. 8. in Matth. Sic temperauit diuina maiestas huius visionis formam, ut & mirabilis esset visio, qua Diuinitas praedicaretur in Christo, & humanus eam mortalium ferro possit visus.

Ad Verbum Incarnatum, ut explicant D. Gregorius Nyssenus, & Catena trium Patrum apud Theodoretum; Alanus, Pfellius, & alij; loquitur Anima Sancta, dicens: Ecce tu pulcher es, Dilecte mi, & decorus: lectulus noster floridus. Cantic. 1. num. 16. Septuaginta transferunt. Lectulus noster umbrosus. Et rectè Verbum Incarnatum dicitur lectulus noster: in eo enim sancti, & iusti requiescunt. Vnde modulatur David: In pace in id ipsum dormiam, & requiescam. Psal. 4. num. 9. Verum si tam pulcher, ac elegans, cur non lectulus manifestus, sed umbrosus? Si Deus veniens in mundum, totum decorem, ac pulchritudinem suae Diuinitatis manifestaasset, sine dubio tantum splendorem nullus ferre posset, sed omnes obecaret; pro fragilitate hominum, ad quos veniebat, umbra nostrae carnis tegitur, ut tantum Diuinitatis fulgur homo valeat sustinere Michael Pfellius in Bibliothec. tom. 11. sic ait nomine Sponsae. Accessisti, ait, ad infirmum, & imbecillum lectulum, regens quodam artificio, & obumbrans tremendum Diuinitatis splendorem: nisi enim texisset iis, quos solus tu nosti, modis, diuini forte luminis inbare praestrikti, extincti essemus. Nota, quod Verbum Incarnatum, iuxta nostram Vulgatam, dicitur lectulus floridus, iuxta, Septuaginta, umbrosus. Iis, quibus in

Regis gloria, suis sua communicare dona.

Cum de praesenti aliquid datur, estimatur spes de futuro.

Qui admittit socios in felicitate, hos & habebit in aduersitate.

80. Singularitas odij fomentum.

81. Damascen.

Dona sunt proportionatae capacitati eorum, quibus dantur.

Paschas.

Nyssenus. Tres Patres Alaas. Pfellius. Canticor. Septuaginta.

Psal. 4.

Pro fragilitate hominum, ad quos veniebat, tegitur Verbum. Pfellius.

in Patria facie ad faciem manifestatur, veluti lectulus floridus est; intuentur in ipso Diuinitatis attributorum flores. Nobis verò in hac mortali vita, ob nostram conditionem, lectulus umbrosus, carnis vmbra obuelatus. In distributione donorum, tanta gratia, sua proportione seruata, confertur his, quibus dantur, cum apti inueniuntur, ac illis, quibus ob eorum incapacitatem subtrahuntur.

83. Isaias 6.

Isaias 6. num. 1. asserit: Vidi Diuinum sedentem super solium excelsum, & eleuatum; Seraphim stabant super illud, sex ala vni, & sex ala alteri; duabus velabant faciem eius. Per quam D. Cyrillus Alexandrinus intelligit Diuinitatem, sicut per pedes abyssum, & incomprehensibilitatem iudiciorum Dei. Valde diffunduntur Patres in explicandis fauoribus Isaiæ in hac visione concessis. Ibi ei datur notitia mysterij Trinitatis: Sanctus, Sanctus, Sanctus. reuelatur Incarnationis arcanum, eique datur cognitio vite, miraculorum, ac praedicationis Christi. Sicque explicant D. Cyrillus, D. Hieronymus, Haymon, & alij. Plena est omnis terra gloria eius. Et alia mysteria ei manifestantur. Cur ergo facies Domini, seu eius Diuinitas obuelatur? Cur aperte ei non ostenditur. Inter tot fauores eximius exitit, quod ipsa Diuinitas esset velata, ac cooperta: nam si ei aperte monstraretur, radiis tantæ claritatis oppressus obecaretur potius, quam tanta diuinorum cognitione illustraretur. Illa enim supremæ Diuinitatis intuitio solum Beatis in Patria, non verò homini in mortali vita degenti conceditur. Ait enim ipse Deus: Non videbit me homo, & viuet. Exod. 33. num. 20. Quod rectè confirmat, & probat D. Chrysostr. de Incomprehensibili Dei natura, exemplo Danelis cap. 10. num. 7. qui aspectu Angelij vnus de se inquit: Non remansit in me fortitudo, sed & species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quidquam virium. Sic dicit praefatus Chrysostr. Si Daniel praesentiam sui Angeli conserui ferre nequiuisset, sed defectissimus viribus, atque exanimatus iacuit; quomodo ipsam Dei substantiam sustinere quis poterit?

Cyrillus. Hieronym. Haymon.

Gradius fauor, quod Isaias obuelata appareat Diuinitas.

Exod. 33. Chrysostr. Daniel. 10.

Chrysostr.

84. Isaias 9.

Ait Isaias 9. num. 2. Habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis. non dicit, habitantibus in regione mortis, seu tenebrarum, sed in regione umbrae mortis. Umbra medium quoddam est inter lucem, & tenebras; non enim ipse splendor effulget iis, qui in densitate obscuritatis residebant, sed illis, qui à tenebrarum profunditate in vmbra processerunt, ut exinde, tanquam iam magis habiles, ad lucem deuenirent. Fauet Origenes homil. 2. in Cantica. Habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est, transcausit ab umbrae mortis ad vmbrae vitae. Semper istius modi sunt profectus, ut in exordio desideret quispiam saltem in virtutum vmbra consistere. Expande, quod ait, ut transcausit ab umbrae mortis ad vmbrae vitae, non ad vitam, sed ad vmbrae vitae, ut ita ipsi vitae proportionemur.

Origen.

Non immediate de tenebris ad lucem, sed ad vmbrae.

QUESTIO X.

Quare cum gloria Moysis tantum esset in facie; Christi autem in facie, & in vestimentis resplenduit?

85.

DE albedine, ac splendore vestium Christi dixi quæst. 5. Hæc autem factæ sunt albæ,

& emicantes, ut ait D. Marcus, Vestimenta eius facta sunt splendentia, & candida, ex fulgore corporis. Per hæc autem vestimenta D. Gregorius lib. 32. moral. Beda, Haymon, Glossa, D. Thomas, Caietanus, & alij Iusto Christo adherentes interpretantur, quos Dominus sibi adiungit, iuxta illud Isaiæ 49. num. 18. Omnibus his velut ornamento vestieris. Cum Christus gloriae indumento se induit, non tantum sibi retinet, sed etiam suis Electis illud tribuit, & communicat.

Marc. Gregor. Beda. Haymon. Glossa. D. Thom. Caietan. Isaias 49. Christus sua gloriam suis communicat.

86. Præfens quæstio exoritur à splendore vultus Moysis: nam cum descendisset de monte, portans duas tabulas, dicitur de eo: Et ignorabat, quod cornuta esset facies sua ex consorcio sermonis Dei. Ezod. 43. num. 29. Cornuta, idest lucida facies, vt radios luminis vibraret, eiusque quasi cornua emitteret, vt explicant Carthusianus, Caietanus, Lyppomanus, Pererius; Cornelius, & alij. Chaldaus habet, Ignorabat Moyses, quod multiplicatus esset splendor gloria vultus eius. Septuaginta, & multi ex Græco. Non sciebat Moyses, quod glorificatus fuerat aspectus cuius eius, vel coloris faciei suæ. Sicque Paulus loquitur 2. Corinth. 3. num. 7. Gloriam vultus Moysis. Quæstio præfens est: Cur gloria Moysis tantum resplendebat in vultu, Christi autem gloria, non solum in facie, sed etiam in toto corpore, vt etiam in vestimentum redundaret?

86. Exod. 43. Carthuf. Caietan. Lyppoman. Pererius. Corneli. Chaldaus. Septuaginta.

87. Hoc dubium excitat, & mouet D. Ephren Orat. de Transfigur. sic dicens: Vestimenta autem sua ostendit eis alba instar lucis; quia ex toto corpore eius gloria Diuinitatis sue scaturibat, & ex omnibus membris suis lux eius resulgebat. Non enim vt Moysi, resplenduit eius facies extrinsecus. Et post pauca subdit: Non enim sicut Moyses decorus fuit extrinsecus, sed tanquam Deus fulgebat in gloria. Moyses enim faciei eius apparitione vnctus fuit decore; Iesus autem toto suo corpore, tanquam Sol suis radiis resplenduit gloriae suae Diuinitatis. In quibus verbis multas rationes, & valde aptas ad mores nobis inculcat S. Pater.

87. Ephren.

88. Primò. Vestimenta autem sua ostendit eis alba, quia ex toto corpore eius gloria Diuinitatis sue scaturibat; non enim, vt Moysi: resplenduit eius facies. Quam latum est discrimen inter Dei, & hominis gloriam. Gloria Moysis solum sibi tantum erat, solumque faciei suae ad hærebat, minimeque in vultum vultus, super vultum impositum, transibat. At gloria Dei Christi Iesu, non solum in faciem, nec solum in corpus, sed etiam in vestes transfundebatur. Secundo. Lux Dei omnia replet; lux verò hominis defectiuosa. Splendore gloriae Christi totum eius corpus fulget? Ex toto corpore eius gloria Diuinitatis scaturibat. At gloria Moysis sic nitebat in facie, vt deesset in aliis membris, aliæque corporis partes sub sua obscuritate, ac densitate remanerent. Gloria Dei ex toto à pedibus vsque ad caput se extendit: gloria verò hominis dimidiatè procedit; in vna tantum parte nitet.

88. Gloria hominis sibi tantum, gloria verò Dei alia communicatur.

89. Tertio. Non enim sicut Moyses decorus fuit extrinsecus, sed tanquam Deus fulgebat in gloria. Gloria Domini, ac gloria serui multum discrepant. Dominus apparet in gloria toto suo corpore, tanquam Sol, suis radiis resplenduit. At verò Moyses, faciei eius apparitione vnctus fuit decore. Habeant seruus, & dominus suas glorias, suosque splendores, discrimine interiecto, vt plus niteat, plusque se extendat gloria domini, quam serui. Quarto. Non enim sicut Moyses fuit decorus extrinsecus, sed tanquam Deus fulgebat in gloria. Gloria Mo-

89.

Gloria ad-
ventus de-
fectuosa, non
se innata.

sis extrinseca, gloria Christi innata, ac ab intrin-
seco. Splendor extrinsecus, ac adventivus, non per
omnes partes se extendit, sed sic nobilitat unam, vt
in altera defectum patiat. At gloria propria, &
ingenita omnes partes nobilitat, per omnemque
exuberat. Quinto. *Moses enim faciei eius appari-
tione unctus fuit decore. Iesus autem toto suo corpore,
tandem Sol suis radiis.* Gloria Iesus solida, & vera
cum esset in toto corpore. Gloria autem Moyses
transiens, & apparens, cum esset in sola facie. Val-
de suspecta est elegantia, quae tantum in facie, ac
exteriori nitet.

90.
Abulcafi.

Sexto. Gloria Christi, vt ait Abulcafi q. 14.
dabatur in praesenti perfecte, ac futurae gloriae spe-
cimen: nam gloria vndique perficit hominem. Et
ideo non in sola facie, sed etiam in vestibus enituit
Christus. Vt ostenderetur, quod non sola facies,
quae nuda erat, sed etiam totum corpus, quod
vestibus tegebatur, resplendebar. At gloria Moys-
is, de qua astruit Paulus 2. Corinth. 3. num. 7.
quod euacuatur, huius saeculi splendores denotat,
qui valde diminuti, ac defectuosi existunt.

91.

Septimo, & ad litteram: Respondeo. Quod
ille splendor datus est a Deo in facie Moyses, ad
indicandam sanctitatem, ac puritatem illius animi,
ad reconciliandamque ei multam auctoritatem in
populo ob legem, quam promulgaturus erat, vt
docent Lyranus, Abulcafi, Lippomanus, Pere-
rius, Cornelius, & alij. Et ad hoc fat erat fulgur
in facie, quae est index animi hominis, cuiusque
maiestas multum auctoritatis sibi comparat. Hinc
de Beato Stephano dicitur. *Intrantes cum omnes,
qui sedebant in Concilio, viderunt faciem eius, tan-
quam faciem Angeli.* Actor. 6. num. 15. Hoc est
viderunt faciem Stephani radiantem ad instar An-
geli, vt explicat D. Augustinus serm. 6. de S. Ste-
phano, & serm. 99. de Diuersis asserit, *faciem Ste-
phani radiasse ad instar Solis.* D. Hilarius, Arela-
tensis homil. de S. Stephano, ait, ei huiusmodi
splendorem in facie infusum fuisse ad manife-
standum animi eius candorem, ac vt ille in suis
verbis multa auctoritate emereret. At splendor
gloriae Christi proueniebat ab eius sanctissima
anima, quae sicut totum corpus informabat, ita &
eius gloria in toto corpore diffundebatur. Ex quo
magnum degustemus morale documentum. Prin-
ceps in republica est veluti illius anima, seu vita,
vt inquit Ennodius in Panegyric. Qui Theodori-
cum vitam, & animam Reipublicae appellat. Et
sicut anima totum corpus viuificat, totumque in
Christo facit resplendere in gloria, nullamque
illius partem sui expertem relinquit: sic Princeps
omnes suos illustret, nullumque absque eius ra-
diis omittat.

Lyrans.
Abulcafi.
Lippoman.
Perecius.
Cornelius.

Actor. 6.

August.

Hilarius.
Arelataensis.

Ennodius.
Princeps
anima Rei
publicae.

92.
Apocal. 12.

*Signum magnum apparuit in caelo, mulier amicta
Sole, Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona
stellarum duodecim.* Apocal. 12. num. 12. Excel-
lentissima haec mulier apparet induta Sole, vt ha-
bet Arabicus, seu circumamicta Sole, vt legit Grae-
cus. Cur non alio ornamento exornatur, quam
Sole? Cur non potius ex auro purissimo, vt ni-
tebant plateae ciuitatis caelestis? Vel non potius
ex lapidibus pretiosis, vt erant illius portae, &
fundamenta murorum Apocal. 21. num. 19. Ad
quid Sole vestitur mulier? Introducitur nobilis
femina corona redimita: *In capite eius corona stel-
larum duodecim,* tanquam princeps, & regina, in-
de Sole componitur. Hoc enim habet Sol, vt ita
peragat suum cursum, vt cunctos suis radiis il-
luminet, omnes foueat, cunctos calefaciat, nul-

Princeps per
omnes sua do-
na dispergat.

lumque a sua beneficentia excludat. Vnde sic de
eo Saluator loquitur: *Solem suum facit oriri super
bonos, & malos.* Matth. 5. num. 45. Hanc ergo na-
turam imitetur Princeps, vt in vniuersos suum
splendorem immitat, nullumque ab eo vacuum
dimittat. D. Bernardus serm. de verbis Apocal.
alias in signum magnum. Sic ait: *Ea est, quae ve-
lut alterum Solem induit sibi. Quomodo enim
ille super bonos, & malos indifferenter oritur. Sic
ipsa quoque praeferit non discit merita, sed omni-
bus sese exorabilem, omnibus clementissimam praebet,
omniumque necessitates amplissimo quodam misera-
tur affectu.*

Suo dilecto inquit Anima Sancta. *Indica mihi,
quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in
meridie.* Cantic. 1. num. 7. Cur tam sollicita suum
Sponsum quaerit in meridie? Cur non potius ma-
tutino tempore, quando depulsa tenebrarum cal-
ligine Sol suis radiis pericucundat? Vel sub vesper-
tino tempore, quando a nobis recedit, sui que
absentia magnum in nobis excitat desiderium?
Ad quid in meridie. Sol matutino, ac vespertino
tempore quadam partiali vice nitet: sibi propin-
qua magno splendore illuminat, sub umbra, ac
obscuritate aliis relictis. At in meridie Sol aqua-
liter omnia suo fulgore illustrat, omnibusque ex
aquo se diffundit, suamque lucem a nullo diuer-
tit. Huiusmodi in suo Sponso, vt pote omnium
Principe, affectat, & exoptat Anima sancta, vt
cuncto suo gregi vitae fomenta prebeat, qui in
pascendis omnibus valde communissima sua di-
spartitur bona. Iustus Orgilitanus. *Christus in
Ecclesia Catholica, inquit, tanquam in meridie cu-
bens, mundum vniuersum suo fulgore perfudit, & in
spiritu seruentibus requiescit: atque ex ea charitate,
qua orbem vniuersum irradiat, credentes in se popu-
los quotidie pascit.*

Matth. 5.

Bernard.

93.

Cantic. 1.

Princeps ex
aquo lucet
omnibus.

Orgilitanus.

QVÆSTIO XI.

Quare vestium albedo potius niui, quam
alteri rei confertur?

ACTA sunt vestimenta eius alba sicut nix, ait
Euangelista, hoc est albissima sunt reddita,
ac splendidissima: niue nihil est in rebus naturae
albius, proindeque nec splendidius; omnium
enim colorum splendidissimus est albus. Sensus
moralem inquirimus. Et Primò. In limine supe-
rioris quaestionis diximus, per Christi vestimenta
Sanctos denotari. Haec autem vestimentum com-
parantur. D. Anselmus. *Quia sancti virtutibus can-
didi sunt, & omnium vitiorum astus ab eis remotus.*

Secundò. Origenes, legens alba sicut lumen,
sic ait: *Vestimenta Domini sunt candida sicut lumen,
quae sunt sermones, & littera Euangeliorum, quibus
Christus indutus est: non sunt qualitercunque candida,
sed candida sicut lumen.* Olim Deus Synagogae
æigmaticè, & per figuras loquebatur; nunc verò
suis Discipulis suaeque Ecclesiae tam clare fatur per
Euangeliorum dicta, vt eis fiant manifesta, ac
aperta sicut lumen, seu lux.

Tertio. D. Ambrosius lib. 7. in Luc. ad hunc lo-
cum. *Fortasse, inquit, vestimenta Verbi, sermones
sunt Scripturarum, & quaedam intellectus indumen-
ta diuini.* Cur autem Scriptura niui comparatur,
statim explicat citatus Ambrosius. *Verè hic solus
sermo niuius comparandus, qui de caelo missus in
terram*

94.

Anselm.
Puritas San-
ctorum.

95.
Origenes.

Verba Euan-
geliorum cla-
ra sicut lu-
men.

96.

Ambros.

ALTER TEXTVS.

Deuter. 31.

Scriptura
animos vir-
tutibus fec-
undat.
Psalm. 118.

Lesio Scri-
ptura facit
ambulare in
Lege Dei.

Ambros.

97.

Princeps vni-
uersa videt,
ac suorum
defectus con-
spicit.

98.

Apocal. 12.
Graecus.

Caroll.

terram ieiunia nostrorum arua peccatorum fecunda-
uit. Comparatur diuinus sermo niui, vt canit
Moyses Deuteron 32. num. 2. *Concresecat, vt plu-
uia, doctrina mea; sicut ros, eloquium meum; quasi
imber super herbam, & quasi stille super gramina.*
Sicut enim nix fecundat agros ad magnos fru-
ctuum cumulos; sic Scriptura sacra fecundat
animos ad magnos edendos prouentus. *Beati im-
maculati in via, qui ambulant in lege Domini.*
Beati, qui scrutantur testimonia eius, in toto corde
exquirunt ea. Psalm. 118. n. 1. Simul beati nuncupan-
tur, qui scrutantur diuina testimonia, ac quiambu-
lant in lege Domini: si quis enim lectioni diuinae
Scripturae incumbat, eamque scrutetur; ipsam
spiritu retinebit, ac diuinae Legi adhaerens in ea
ambulabit. D. Ambrosius serm. 1. in dictum Psal-
mum, *Si quis ergo in via ambulat, scrutetur testi-
monia Domini: quoniam melius potest ambulare, qui
scrutatur Domini testimonia.*

Quarto. Maxime perponderandum, quod facies
Christi splendet sicut Sol, vestimenta autem eius
facta sunt alba, sicut nix. Cur non eodem modo,
sed tam diuerso fulgent? Cur vestimenta velut
Sol non irradiant sicut facies? Ad quid niueum
colorem reddunt? Ad quid tam dispar fulgur in
facie, ac veste? Sol parua, ac valde minuta lustrat,
& maxime abscondita penetraat, ac intuetur. Nix
verò decidens in terram, illam vestit, ac cooperit.
Christus in hoc monte personam summi princi-
pis, ac magistri agebat. Hinc vox Patris resonat,
Ipsam audite. Alto consilio facies resplendet vt
Sol; vestimenta candida apparent, vt nix. Prin-
ceps, velut Sol, vniuersa lustrat, videat, ac intro-
spiciat: vestimenta autem eius ad niuis morem se-
gerant, vt aliorum defectus, ac squalores obnubeant,
& tegant, veluti candore niuis respergo aliorum
turbidines cohonestè aliquando cooperiant.

Mulier amicta Sole, Luna sub pedibus eius, &
in capite eius corona stellarum duodecim. Apocal. 12.
num. 1. seu, vt habet Graecus, *Circumamicta Sole.*
Planum est, quod corona multò eminentior est
veste: cum ergo multò nobilior sit stellis, cur
corona mulieris non componitur ex Sole, sed ex
stellis? Ad quid vestitur Sole? Introducitur mulier,
vt regina, ac princeps, vt corona in eius capite
inducatur. Rectè veste ex Sole confecta induitur;
vt ibi principis conditio exprimitur. In Sole
acuties, & perspicacia, vt vniuersa vndequaque
circumspiciat, & intueatur; in veste autem beni-
gnitas, vt aliorum lapsus, & culpas, tanquam
tegmento, cooperiat. Hinc ait Carolus Regius
in Oratore Christiano, lib. 3. cap. 4. *Vestitur Rex
in Oratore Christiano, lib. 3. cap. 4. Vestitur Rex
purpura, ex gentium more, valde lata, & ampla,
non solum vt regalis magnificentiae nota, sed etiam vt
illius amplitudine aliorum casus, ac miseriae, tan-
quam tegumento iniecto, abscondat, & operiat.*

Matth. 17. Et ecce apparuerunt illis
num. 3. Moyses, & Elias cum eo
loquentes.

VERSIONES.

Graecus. Et ecce visi sunt illis.
Vatablus. Et ecce conspecti sunt illis
Moyses, & Elias cum illo
colloquentes.
Syriacus. Quom loquerentur cum
illo.
Sylueira in Euang. Tom. 1. V.

Marc. 9. n. 3. Et apparuit illis Elias cum
Moyses: & erant loquen-
tes cum Iesu
Luc. 9. n. 30. Et ecce duo viri loqueban-
tur cum eo. Erant autem
Moyses, & Elias.
Num. 31. Visti in maiestate & dice-
bant excessum eius, quem
completurus erat in Ie-
rusalem.

EXPOSITIO III.

PARTICULA &, denotat, quod
statim, ac Dominus transfiguratus
est; ecce rem magnam, ac subita-
neam innuit, vt ait Albertus Ma-
gnus, *apparuerunt illis, seu, vt habet
Graecus, visi sunt ab illis, scilicet Apostolis astan-
tibus, qui ipsos viros clarè, & apertè videbant.*
D. Lucas scribit: *Visti in maiestate;* Syriacus legit,
Visti in gloria, corporibus nempe, & vestimentis
splendentibus, ac gloriosis. Moyses, & Elias,
magni proceres veteris Testamenti, cum eo loquen-
tes. Notandum, quod tunc Moyses, & Elias cum
Iesu loquuntur, quando ipse suo diuino fulgore
coruscatur: nisi enim Iesus radios suae diuinae lucis
immitteret, Lex, & Prophetae minime intelliguntur.
D. Chrysoftom. homil. 10. in Marcum *Nisi Iesum,
inquit, vidissent transformatum, Moyses, & Elias
videre non poterant loquentes cum Iesu. Quamdiu
Iudaicè intelligimus, & litteram sequimur occiden-
tem, Moyses, & Elias cum Iesu non loquuntur,
Euangelium nesciunt. Si autem Iesum sequuti fuerint,
& videre Dominum meruerint transformatum, sta-
tim Moyses, & Elias veniunt, id est Lex, & Prophetae,
& colloquuntur cum Euangelio.*

Cum eo loquentes, seu colloquentes. Quod autem
pertractarent, explicat D. Lucas, *Dicebant excessum
eius; loquebantur de Cruce, ac morte eius, quam
Euangelista excessum vocat, seu exitum.* Lucas
Burgensis ex Graeco legit, *dicebant exodum eius,*
vt vox Graeca faciat allusionem ad exodum, seu
expeditionem, quam olim Moyses gesserat educto
Israel ex Aegypto. Aliqui apud Chrysoft. homil. 57.
& Euthymium ex Graeco legunt, *Dicebant gloriam
eius, mors, seu crux, gloria eius.* Si vero vna facias
in verbo Latino apud nostram Vulgatam; innui-
tur, quod per crucem, & mortem excessus, ac magni-
tudo diuinae pietatis, ac amoris erga nos est mani-
festatus. *Quem completurus erat, futurum enim erat,
vt breuiter illum perficeret, in Ierusalem, totius
regni metropoli, ac capite. Et mors dicitur exces-
sus, seu exitus; praè amoris vi mors illi, non vt
mors, sed tanquam exitus, ac transitus videbatur.*

QVÆSTIO XII.

Circa apparitionem Moyses, & Eliae hic fa-
ctam aliqua quaestiuicula resoluuntur.

PRIMA quaestiuicula: Quomodo Elia hic
apparuit? Facilis est solutio; nam Elia
raptus est viuus in curru igneo, & adhuc viuus
in certo loco deputato a Deo, ex quo loco
non

99.

Alb. Magus.

Graecus.

Lucas.
Syriacus.

Ex gratia
Christi uenit,
vt ipse agno-
scatur.

Chrysoft.

100.

Lucas.
Burgens.

Chrysoft.
Euthym.
Cruis, & mors
gloriae Chri-
sti.

Mors Christo,
non vt mors
reputabatur.

101.

Elia quomodo
uenit.